

dom naturae effectus ratiocinando uisitur. Proinde autem distingui debent observationes & experimenta; si nempe quidpiam attentius speculamur, quod natura nulla vi artis coacta demonstrat, ille speculandi actus non experimentum sed *observatio* appellatur; contra autem physicum experimentum est tentamen, quo artificis industria atque opera exploratur & ob oculos ponitur aliqua naturae actio quae antea latebat & latebat postea, nisi eadem a natura uelut inuicta per artem exprimeretur: E. G. Caelum obducitur nubibus, nulla nostra opera interueniente. Si ergo nubes praesentes attente inuenimus, caelum nubibus obductum *obseruare* dicimus; at si aere antihypnematica ex globo metallico cavo aer educitur, ut deinde globus ad lateram appensus examinetur, *experimentum* facere dicitur. Quia uero *phaenomenum* appellatur id omne quod sensibus conspicuum est; patet experimentis & observationibus commune esse phaenomeni nomen.

V. Ex his intelligitur quid inter physicam pure experimentalem & physicam theoreticam intercedat: experimentum *ratio* non est sed *factum*, & vi experientiae tantummodo cognoscitur effectum aliquem ita se habere; at per physicam theoreticam non solum effectus causa explicatur, sed etiam ueritates universales colliguntur, & iure aliqua data in quolibet simili casu conclusiones statuuntur. Itaque physica experimentalis est *physica factorum*, physica autem theoretica est *factorum* explicatio. Hinc ut sua laus unicuique iuste tribuatur,
phy-